



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

De S. Benedicto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

secundo & primo gradu? Peregrinus si prudens est, & non obliviscitur suæ peregrinationis, licet cum labore transit, & non magnopere sæcularibus implicatur: mortuus æquè blanda huius sæculi sicut aspera spernit. Quia verò raptus est usque ad tertium cælum, crux illi est omne cui mundus inhæret: & his adhæret quæ mundo crux esse videntur. Quamvis in his verbis Apostoli illud quoque non incongruè posset intelligi, crucifixum ei mundum reputatione, ipsum verò mundo crucifixum compassionem. Crucifixum enim mundum videbat obligationibus vitiorum, & ipse crucifigebatur ei per compassionis affectum.

¶ Psal. 83. d

Pensemus singuli in quo gradu quisque sit positus, & studeamus proficere de die in diem, quoniam de virtute in virtutem videbitur *Deus Deorum in Sion* &. Maximè verò hoc sancto tempore in omni, obsecro, puritate conversari studeamus, ubi & certus & brevis dierum numerus positus est, ne desperet humana fragilitas. Nam si dicitur nobis in omni tempore, solliciti estote omnino ad custodiendam puritatem vestræ conversationis, quis non desperet? Nunc autem monemur, brevi dierum numero omnes aliorum temporum negligentias emendare: ut vel sic gustemus dulcedinem perfectæ puritatis, & omni deinceps tempore in conversatione nostra sanctæ huius quadragesimæ vestigia clara resplendeant. Conemur ergo, fratres sanctum hoc tempus tota devotione suscipere, & tunc magis arma spiritualia reparare. Nunc enim generali quodam totius orbis exercitu contra diabolum Salvator congregitur: beati, qui sub tali duce strenuè militarint. Toto siquidem anno domestica regis familia militat, & assidua est in bellorum procinctu: semel autem & certo tempore universum imperium generali congregatur exercitu. Felices vos, qui domestici meruistis esse: quibus dicit Apostolus ^b. *Iam non estis hospites & advena, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei.* Quid igitur facturi sunt qui toto anno pugnam susceperunt, quando & ipsi rudes & vacantes prius spiritualia arma arripiunt? Utique solito amplius solitæ opus est insistere pugnae, ut magna quædam victoria regi nostro ad gloriam, nobis proveniat ad salutem.

Tempore Quadragesimæ. Christus generali totius orbis exercitu cum diabolo congregitur.

¶ Ephes. 2. d

DE S. BENEDICTO ABBATE,

S E R M O.

Convenientibus vobis in unum ad audiendum verbum salutis, magnus mihi timor, Fratres mei, ne quis forè minus digne illud recipiat, & non sicut recipiendum est verbum Dei. Scio enim terram quæ sapius supervenientem in se recipit imbrem, si fructum non fecerit, reprobam fore, & proximam maledicto ^a. Et ego utique si possem, benedictiones

¶ Heb. 6. b

De S. Benedicto Abbate, Sermo. 173

nedictiones illi dare mallet, & non maledictiones. Imò verò jam benedictionem cœlestis Patris vestri non meam (quam tamen ipso quidem dignante accipitis per os meum) opto vobis benedictionem manere semper nec in maledictionem posse mutari. Celebramus hodie magistri nostri gloriosi Benedicti natalem: pro eo vobis de eo solemnis ex more sermo debetur. Cuius dulcissimum nomen, cum omni vobis iucunditate amplectendum est, & honorandum, quoniam ipse dux vester, ipse magister, & legifer vester est. Delector quidem & ego in ipsius memoria, licet non meo sine rubore Beati huius Patris nomen audeam memorare. Est enim mihi de ipsius imitatione vobiscum sæculi abrenuntiatio, & monasticæ professionis disciplina, sed singulariter sine vobis cum eo participo nomen Abbatis. Abbas fuit, & ego. O Abbas & abbas. Nomen unum, sed in altero sola magni nominis umbra. Ministerium unum, sed heu me! quàm dissimiles ministri, quantum ministratio ipsa dissimilis? Væ mihi si tam longe à te fuero, ô beate Benedicte, in futuro, quàm à tuæ vestigiis sanctitatis longè esse reperior in præsentia. Sed non mihi hæc apud vos perorare necesse est: scio quod scientibus me loquor: tantum peto, ut pudorem hunc, & hunc timorem meum fraterna compassione levetis.

*Homilia con-
fessio S. Ben-
nardi scipione
de primordia.*

Quoniam tamen omnino dispensatio mihi credita est, et si non habeo apud me quod vobis apponam, quæram à beato Benedicto tres panes, quibus vos pascam. Reficiat vos Sanctitas eius, Justitia eius, Pietas eius. Recolite, dilectissimi, quòd non omnes qui in processione Domini fuerunt, sua illi prostraverint vestimenta. In illa, inquam processione quam annuente Domino in proximo sumus celebraturi, quando venienti Domino ad passionem, & sedenti super asellum populi occurrerunt, non omnes vestimenta sua prosternebant in via, sed cædebant aliqui ramos de arboribus. Non erat hoc magnum: quod gratis acciperant, gratis dabant. Veruntamen ne ipsi quidem penitus ociosi fuerunt, sed nec à processione leguntur exclusi. Fratres mei, pium Christi jumentum, qui cum Propheta dicere potestis ^b: *Ve jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*: vos quibus insidet Christus, quoniam *anima iusti sedes est sapientie*, & Apostolus prædicat *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam* ^c: si non habeo vestes quas pedibus vestris prosternam, ten-
tabo vel ramos cædere de arboribus, ut tantæ processioni vel parum aliquid non desit ministerii mei.

^b Psal. 72. d

^c 1. Cor. 1. d

Arbor fuit beatus Benedictus grandis atque fructifera, tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum ^d. Ubi sunt decursus aquarum; Profectò in vallibus, quia inter medium montium pertransi-

^d Psal. 1. 2^o

Benedictio arbori frugifera & in valle plantata comparat.
e Iacob. 4. d
Arbores in vallibus plantatae felicius crescunt, sic iusti in humilitate fundati proficiunt.
f Psal. 64. c

g Eccl. 10. a
Humilitas securior a ruina.

Discrimen arborum spiritualium.
Arbores infructuosae sunt filii huius saeculi.
**h Deut. 14.*

Porcorum esus & immolatio prohibita Iudeis, ratio moralis.

i Marc. 5. b

bunt aquae. Quis enim non videat etiam torrentes montium ardua declinare, & mediam ad humilitatem semper divertere vallis? Sic profecto sic DEUS superbis resistit, humilibus dat gratiam. Securus hic fige pedem quicumque es jumentum Christi: super hunc ramum initere, semitam vallis incede. Nimirum in monte sibi sedem constituit serpens antiquus, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro, propterea vallem magis elige ad ambulandum, vallem elige ad plantandum. Neque enim vel in ferendis arboribus montana solemus eligere, quod frequenter arida sunt & petrosa. In vallibus pinguedo est, ibi proficiunt plantae, ibi plena spica, ibi centesimus oritur fructus, juxta illud f: *et vales abundabunt frumento.* Audis quia ubique vallis laudatur, ubique humilitas praedicatur. Ibi plantate ubi decursus aquarum, quia ibi copia gratiae spiritualis: & aquae quae super caelos sunt, laudant nomen Domini, id est, coelestes benedictiones faciunt ut laudetur. Stemus in hac charissimi, & plantati stemus, ut non arescamus, non moveamur quocumque flatu, sicut scriptum est g: *Si spiritus habentis potestatem super te irruerit, locum tuum ne deseras.* Nulla enim tentatio vobis praevalere, si non in magnis & mirabilibus super vos ambuletis, sed permaneat radicebus firmis in humilitate radicati atque fundati. Sic fuit plantatus secus decursus aquarum Sanctus iste confessor Domini, quoniam fructum suum dedit in tempore suo.

Sunt enim qui factum non faciunt: sunt qui faciunt sed non suum: sunt qui faciunt suum, sed non in tempore suo. Sunt, inquam, *arbores infructuosae*, ut quercus & ulmus & sylvestres aliae arbores: sed huiusmodi nemo plantat in horto suo, quia non faciunt fructum: & si quem faciunt, non humano esui aptus est, sed porcino. Tales sunt filii huius saeculi agentes in commestationibus & ebrietatibus, in crapula & voracitate, in cubilibus & impudiciis. Haec namque porcorum cibus sunt, quos Iudaeus verus prohibetur comedere h, quia Christianus his non debet adherere. Sicut enim caro porcina cum comeditur, nostrae adheret carni, ut jam sit una caro: sic transgressor praeccepti Domini spurcos sibi sociat spiritus, & adherendo eis unus cum eis efficitur daemon. Nam & idcirco in sacrificiis prohibetur animal illud offerri, quod spurcos spiritus immundosque designet: qui relicta omni munditia, solis sibi spurciis complacentes, vitiorum & criminum semper caeno delectantur involvi. Unde & in Evangelio i, legio illa maledicta dum eiceretur ab homine, tanquam simile sibi animal porcos postulat, nec negantur. His fructum ferunt arbores infructuosae ad quarum radices securis posita jam videtur.

Arbo-

De S. Benedicto Abbate, Sermo. 175

Arbores autem quæ fructum faciunt, sed non suum, hypocritæ sunt, cum Simone Cyrenæo crucem portantes non suam : qui religiosa intentione carentes, angariantur : & quæ non amant, amore gloriæ quam desiderant, facere compelluntur. Jam in eo quod dicitur, *intempore suo* ^k, arguuntur quidam ante tempus fructificare volentes. Nonne enim & arboribus nostris citius quàm oporteat pullulantibus, timemus omnino floribus intempestivis ? Sic sunt aliqui quorum fructus, quia nimis properè, minus prosperè oriuntur. Hi sunt qui in initio conversionis suæ aliis fructificare continuò velle præsumunt, contraque legis decreta arare in primogenito bovis, & ovis primogenita tonderè festinantes. Vultis nosse quam sollicitè id vitaverit sanctus iste Magister noster ? Et hunc ramum vobis appono : quoniam tribus annis soli DEO notus, hominibus mansit incognitus. Fructum quidem multum tulit, ipsi cernitis, sed in tempore suo. Neque enim credebatur tempus esse fructificandi, quando tanta carnis tentatione gravatus est, ut penè cederet, penè discederet. Ego enim nec istum quidem ramum præteribo, quoniam etsi hirsutus quodammodo spinarum aculeis, quibus seipsum Domini Benedictus injecit : tamen utilis est omnino : utilis jumento Domini propter foveas tentationum, ne in eas incidat consentiendò, sed magis resistat, & viriliter agat, sustineatque Dominum ne desperet. Hic ergo fige pedem Christi jumentum, & discce quantumcunque acerba tentatio sæviat, non cedere, nec credere propterea derelictum te esse à Domino, sed memineris scriptum esse ; *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me* ^l.

Ergo ut dicere cœperam, non credebatur Benedictus tunc esse fructificandi tempus, quando adhuc tantis tentationibus urgebatur : sed venit tempus, & in tempore suo fructum dedit. De fructu eius, sunt illa tria quæ superius tetigit : Sanctitas eius. Justitia eius. Pietas eius. Sanctitatem *miracula* probant, *doctrina* pietatem, *vita* justitiam. Vides, ô jumentum Christi, ramos foliis virentes, vernantes floribus, onustos fructu ? Super istos innitere, ut gressus rectos facias pedibus tuis. Sed quomodo tibi appono eius miracula ? Nunquid ut miracula facere velis ? Nequaquam, sed ut miraculis eius innitaris : videlicet ut confidas & gaudeas, quod sub tali positus es pastore : quod tantum meruisti habere patronum. Omnino enim valde potens est in cœlis, qui tam magnus & potens extitit in terris ; secundum magnitudinem gratiæ, magnitudine gloriæ exaltatus. Nam & juxta radicem quantitatem rami prodire noscuntur : & quot radicibus arbor innititur, tot ramis, sicut aiunt, decoratur. Sic ergò licet non habeamus nostra, consolatio magna nobis esse

Arbores fructum faciunt sed non suum quinam. k Psal. 1. a

Tempore opportuno fructificandum.

S. Benedict. tribus annis latuit.

l Psal. 80. b

Miracula SS. quorsum nobis proponantur.

esse debent Patroni nostri miracula. Doctrina verò instruit nos, & dirigit gressus nostros in viam pacis. Porro vitæ justitia omnino roborat & animat nos: ut tantò magis accendamus ad agenda quæ docuit, quanto certi sumus eum non alia docuisse quàm fecerit. Sermo quidem vivus & efficax, exemplum operis est: plurimum faciens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur.†

Exemplo ef-
ficaciter do-
ceatur.

v. NOTAS.

Arboris hu-
ius fructus.
Pascit vita,
doctrina, in-
tercessione.

m Eccl. 18. d

n Matt. 13. a

Et Christus
arbor mystica.

† Psal. 84. b

p Philip. 2. a

Christi humi-
litatis imitanda.

q 2. Cor. 5. c

r Psal. 30. c

In hunc ergo modum & Sanctitas confortat, Pietas informat, Justi-
tia confirmat. Quantæ enim pietatis fuit, quòd non solum præsentibus
profuit, sed & pro futuris sollicitus fuit? Non solum his qui tunc erant,
fructum tulit hæc arbor, sed utique hodie fructus eius & crescit & manet.
Dilectus planè DEO & hominibus: cuius non sola præsentia in benedi-
ctione fuit, sicut sunt multi dilecti Deo soli, quia soli Deo jam cogniti:
sed & memoria eius etiam nunc in benedictione est. Nam & usque ho-
die in triplicem amoris Domini confessionem, triplici hoc fructu pascit
Domini gregem. Pascit *Vita*, pascit *Doctrina*, pascit *Intercessione*. Per
quem incessanter adiuti, fructificate & vos charissimi, quoniam in hoc
positi estis, ut eatis & fructum afferatis. Unde eatis? Utique à vobisip-
sif, sicut scriptum est ^m. *A voluntate tua avertere*. Nam & de Domino le-
gimus, quia *exiit seminare semen suum* ⁿ. Ecce & hic habemus semen
suum, sicut & prius fructum suum. Imitemur & hunc, Fratres, quo-
niam ad hoc venit, ut formam nobis traderet, & viam demonstraret.

Fortassis & ipse Dominus arbor est, & debemus ab eo quoque ra-
mos accipere, quos nostris pedibus apponamus; imo non fortasse, sed
magis verè arbor est ipse & planta cælestis, sed in terris plantata, sicut
scriptum est ^p *Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit*. Ab eo
igitur hunc ramos vobis appono, ut sicut seipsum exinanivit, hoc ipsum
sentiat in vobis, nisi quod non tam ego appono, quàm Apostolus, apud
quem legitis hæc ^p: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cum
in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem DEO, sed semeti-
sum exinanivit formam servi accipiens: in similitudinem hominum factus, &
habitu inventus ut homo*. Et vos, Fratres charissimi, exinanite vos, hu-
miliate vos, seminate vos, perditte vos. Seminate corpus animale, & re-
surgat corpus spirituale. Perditte animas vestras, & in vitam æternam
servabitis eas. Vultis nosse quomodo id fecerit Apostolus ipse qui do-
cuit? *Sive*, inquit ^q, *mente excedimus, DEO: sive sobrii sumus, vobis*. Quid
ergo tibi? *Ego*, inquit ^r, *factus sum tanquam vas perditum*. Bene seipsum
perdit, qui nihil unquam pro se facit: sed omnis eius intentio & omne de-
siderium tendit ad Dei placitum, & utilitatem fratrum suorum. *Infelix*
enim

De S. Benedicto Abbate, Sermo. 177

enim qui seminat in carne, quia de carne metet corruptionem ^s. Alibi vero scriptum est ^t: *Beati qui seminant super omnes aquas.* Sed quomodo super omnes aquas? Forte & super aquas de quibus legitur ^u: *Et aquae quae super caelos sunt, laudent nomen Domini:* quae sunt virtutes Angelicæ, & cœlestes populi. Ita planè: *quoniam spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus* ^x.

Seminemus igitur hominibus exemplum bonum per aperta opera: feminemus Angelis gaudium magnum per occulta suspiria, & cætera huiusmodi quæ solis eis sunt nota. Gaudium enim est Angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente. Hinc dicebat Apostolus ^y: *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus:* Coram Deo dixit, coram eis qui vultui Dei assistunt. Iphis enim maximè placet, quum vos vident occultè orantes, aut ruminantes psalmum aliquem, aut tale aliquid facientes. Sic seminate & vos, sic fructificate charissimi. Seminate & vos, qui tam multi ante vos seminaverunt: fructificate, quia vobis seminaverunt. O genus Adam, quàm multi seminaverunt in te, & quàm pretiosum semen: quàm malè peribis, & quàm merito, si perierit in te tantum semen, simul & seminantium labor? Cui perditioni traderis ab agricola, si in te perierint hæc universa? Seminavit in terra nostra tota Trinitas, seminaverunt Angeli pariter & Apostoli, seminaverunt Martyres, & Confessores, & Virgines. Seminavit & Filius, *Ipse enim est qui exiit seminare semen suum* ^z: Pater enim non exiit, sed Filius à Patre processit, & venit in mundum: ut qui prius erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipse pax nostra in utero Matris, seminavit & Spiritus sanctus, quia & ipse venit, & apparuerunt discipulis dispartitæ linguæ tanquam ignis. Ita tota Trinitas seminavit: Pater scilicet pacem de cœlo, Filius veritatem, Spiritus sanctus charitatem.

Angeli quoque seminaverunt, quando cadentibus aliis ipsi steterunt. Dixit enim Lucifer ille, (sed non jam lucifer, sed tenebrifer & vesperus) *Sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo* ^a. O impudens! Millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ^o, & tu sedebis? *Cherubim*, ait Propheta ^b, *stabant, & non sedebant*, quid laborasti, ut jam fedear? Omnes administratorii sunt Spiritus missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, & tu sedebis? Quid seminasti, ut jam metas? Non est tuum, non est tuum hoc, sed quibus paratum est à Patre. Quid eis invides? Profectò ipsi sedebunt, ipsi inquam vermiculi terræ judicantes sedebunt, & tu non modo non stabis, sed judicandus astabis. *Nescitis*, ait Apostolus ^c, *quia & Angelos iudicabimus?* Ipsi utique *ibant & stebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione*

^s Galat. 6. b
^t Esai. 32. d
^u Psal. 148. n
^w 1. Cor. 4. b

^y 2. Cor. 8. d

Christiani sterriles quam graviter damnandi.
Varii seminatores mystici.
1. SS. Trinitas.

^z Matt. 13. a
& Luc. 8. a

2. SS. Angeli.

^a Esai. 14. d
^o Dan. 7. c

^b Ezech. 10. a
& Esai. 6. a

Quies non capianda nisi post laborem.

^c 2. Cor. 6. a

tatione

d Pfal. 125. a *tatione portant manipulos suos* ^d. Duo manipuli sunt quos quæris, honoris scilicet, & quietis. Sessio affectas & altitudinem, sed non sic, non sic: non colliges, quia non feminasti. Qui feminaverunt laborem & utilitatem, metent honorem pariter & quietem. Pro confusione enim sua, duplici & labore, in terra sua duplicia possidebunt. Unde & dicebat quidam ^e: *Vide humilitatem meam, & laborem meum.* Hodie audistis in Evangelio promittentem Dominum, & dicentem Discipulis ^f: *Sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* Ecce quies sessionis, & honor iudicii. Nam & ipse Dominus ad hæc noluit pervenire, nisi per humilitatem & laborem. Unde & morte turpissima condemnatus est, interrogatus tormentis, & opprobriis saturatus: utique ut inimicus induatur confusione ipse, pariter & omnes qui imitantur eum, & prætergrediuntur viam. Ipse est, ô inique, ipse est qui sessurus est in sede maiestatis suæ similis Altissimo, & coalitissimus ei. Hoc utique cogitaverunt Angeli sancti, qui cadente maligno apostasiæ illius non consenserunt: nobis relinquentes exemplum, ut quemadmodum ipsi elegerunt ministrare; sic & nos faciamus. Nam etiam qui laborem fugiunt, honorem captant, illum se noverint imitari, qui sessionem altitudinemque quæsit: & si non satis terret eos illius culpa, terreat vel vindicta. Omnia enim in contrarium devenerunt, ut formatus sit ad illudendum ei, & ignis æternus præparatus est illi. Ad hæc vitanda, prudentiam nobis seminaverunt sancti Angeli, qui prius eam aliis cadentibus tenuerunt.

Sed & Apostoli hanc ipsam feminaverunt nobis, quando recedentibus his qui sapientiam huius mundi sequebantur (quæ stultitia est apud Deum) & prudentiam carnis (quæ mortem operatur, & inimica est Deo) ipsi Domino adhæserunt. Scandalizati enim illi audientes de sacramento carnis & sanguinis, ultra non ibant cum eo. Discipuli verò interrogati an & ipsi vellent abire? responderunt ^g, *Ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Neesse habemus fratres hanc prudentiam imitari: quia multi adhuc ambulant cum JESU, donec veniatur ad edendam eius carnem, & bibendum sanguinem illius, ad communicandum scilicet passionibus eius: hoc enim & verbum illud, & ipsum Sacramentum significat: ex tunc autem scandalizantur, & abeunt retro, dicentes. *Quia durus est hic sermo* ^h. Nos cum Apostolis prudentes simus, & dicamus: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Non discedimus à te, vivificabis nos. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* ⁱ. Non solus mundus habet delectationem, sed multo maior est in verbistuis. Unde & Propheta ait ^k: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo!* Ad quem igitur eamus? verba vitæ æternæ

^e Pfal. 24. d
^f Matt. 19. d

Ne Christus quidem sine labore pervenit ad quietem.

Honorum cupidus, & laborum inimicus, similis Diabolo.

^g Seminant nobis Apostoli.

^g Ioan. 6. g

^h Ibid.

ⁱ Deut. 8. a
^g & Matt. 4.
^k Pfal. 18. n

In Annunciatione B. Mariæ, Sermo I. 179

æternæ habes Domine : & ea quæ sunt super omnia quæ mundus habere potest. Non solum ipsa vita, sed & promissio vitæ æternæ, & expectatio justorum, lætitia est, & tanta lætitia, ut omne quod concupiscitur, ei non valeat comparari. Hanc igitur prudentiam nobis Apostoli sancti seminaverunt. Martyres verò manifestum est fortitudinem seminasse. Porro veri Confessores seminaverunt iustitiam, quam in omni vita sua sequuti sunt. Hoc enim interest inter Martyres & Confessores, quod inter Petrum simul omnia relinquentem, & Abraham substantiam mundi in bonos usus expendentem. Sic enim illi consummati in brevi expleverunt tempora multa: isti verò longa & multimoda traxere martyria. Virgines sanctæ planum est quia temperantiam seminarunt, quæ sic libidinem calcaverunt.

Martyres,
Confessores,
Virgines quid
nobis semina-
verint.

Discrimen
Martyrum &
Confessorum.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS

B. Mariæ Virginis.

S E R M O I.

De Verbis Psal. *Vt inhabitet gloria in terra nostra; Misericordia
& veritas obviaverunt sibi, Iustitia & pax
osculatæ sunt.* Psal. 84.

Gloria nostra hæc est (ait Apostolus) *testimonium conscientia nostra* ^a. *a* 2. Cor. 1. c
Non quidem tale testimonium, quale ille superbus Pharisæus habebat, seducta & seductrice cogitatione ^b, testimonium perhibens de seipso, & testimonium eius verum non erat: sed cum Spiritus ipse testimonium perhibet spiritui nostro. Porro hoc testimonium in tribus consistere credo. Necessè est enim *primò* omnium credere quòd remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei: *deinde* quòd nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse: *postremò* quòd æternam vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis detur & illa. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus est mundus ^c? Utique quod factum est, non potest non fieri: ipso tamen non imputante erit quasi non fuerit. Quod Propheta quoque considerans ait ^d: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* De operibus verò bonis certum omninò est, quòd nemo hæc habeat à seipso. Nam si stare non potuit humana natura adhuc integra, quantum minus poterit per seipsam resurgere jam corrupta? Certum est ad suam originem universa quantum in eis est tendere, & in eam semper esse partem procliviora. Sic & nos qui de nihilo creati sumus, constat; quia si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper (quod nihil est) declinamus.

b Luc. 18. b

*Testimonium
conscientia cõ-
sistit in tribus.
Remissio pec-
catorum, Ope-
ra bona, &
vita æterna,
à solo Deo.*

c Job. 14. a

d Psal. 31. a
*Homo sibi re-
lictus conti-
nuò tendit in
nihilum.*

Sermones S. Bernardi.

Z

Jam